Barget Marcelli: Conclusiones theologicae ex tractatu de sacramentis in genere et in specie Christo Domino.

CONCLUSIONES THEOLOGICÆ
Historico-Polemicæ
Conformes Menti JOANNIS BACCONII Doctoris Resoluti.

EX TRACTATU DE

Sacramentis in Genere, & in Specie

CHRISTO DOMINO,

Sacramentorum Auctori & Institutori

In tesseram profundissimi Latriæ Cultûs ac Venerationis

pro tàm effusa præstantissimorum largitione donorum à Studio Theologico Generali Cracoviensi

EXHIBITÆ.

Annô Domini MDCCLXV. Diebûs Maij.

CRACOVIÆ TYPIS UNIVERSITATIS.

Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in Verbo vitæ. *ad Ephes: Cap. 5. V. 25. & 26.*

Auctor Sacramentorum quis est, nisi Dominus Jesus? *S. Ambros: Lib: 4. de Sacr:, c. 4.*

Hi dies, qui inter Resurrectionem Domini Ascensionemq; fluxerunt, non otioso transiêre decursu, sed magna in his confirmata Sacramenta, magna sunt revelata Mysteria. *S. Leo serm. 1. de Ascen. Dom.*

PRÆFATIO.

Ecclesiæ Christi Sacramenta, per quæ omnis vera justitia vel incipit, vel cæpta augetur, vel amissa reparatur (a) *Septem illa sunt Columnæ, quas sibi Divina excidit Sapientia, quæ ipso Christi mediatoris sanguine constructæ, firmissimum adversùs omnes hostium impetus, Ecclesiæ ædificium fulciunt ac sustentant. Neq; verò Ecclesiæ tantùm fulcimenta sunt, sed etiam augusta quædam Religionis symbola, & insignes tesseræ, quibùs & nostra palam declaratur fides, & vinculum communionis ac societatis inter fideles fovetur ac conservatur. In nullum quippè nomen Religionis coagulari homines possunt, nisi aliquorū Sacramentorum visibilium consortio colligentur.* (b) *Pretiosa vasa sunt, quibûs Christi sangvis ac merita continentur, ac totidem veluti canales, per quos innumera Divinæ Clementiæ beneficia ad nos defluere Christus sancivit; ungventa deniq; svavitatis, & unctiones sanitatis, quas fecit cælestis medicus, in quibus adversùs omnes animorum nostrorum morbos saluberrimum nobis offertur remedium: In his curans mitigabit dolorem, & ungventarius faciet pigmenta svavitatis, & unctiones conficiet sanitatis.* (c) *Qui profectò singulos ad se vocat: Venite ad me omnes, & ego reficiam vos.* (d) *Quibus verò modis reficit? Quis Illius opes varietate incredibiles, multitudine innumeras, svavitate jucundissimas, numerô pariter ac potentiâ infinitas ennmerare poterit? Præcipuè verò, cùm Corporis sui in Eucharistia cælesti prorsùs alimoniâ, tum aliorum Sacramentorum vario usu, ac fructu multiplici, corroboret, ornet, ac delectet. Quæ cùm tanta sint, ac humanæ mentis captum excedere videantur, jam antè prænuntiata & adumbrata fuère. Hanc profectò futuram largissimam ac uberrimam donorum Divinorum effusionem indicaverat Propheta: Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.* (e) *Hìs enim symbolis nostra quæ futura olim essent, procul dubiô Sacramenta præ-*

):(*figurabat,*

(a) Conc: Trid: Sess: 7. in proæ. (b) S. Aug: lib. 19. cont. Faust. c. 11.
(c) Eccl: c. 38. ℣. 7. (d) Math: c. 11. ℣. 28. (e) Isa. c. 12. ℣. 3.

figurabat, quorum valor ac pretium non alicujus rei terrenæ ope & munificentiâ, sed eo, qui æstimari satis non potest, Christi sangvine comparatur, unde tanquàm à fonte & origine omne meritum defluit, gratisq; nobis conceditur. Tanta scilicet est, tàm effusa in nos DEI benignitas, & clementia, ut etiam pretium, undè aurum illud ignitum comparare nobis possimus, per Sacramenta gratis suppeditet. Corporeum quidem elementum, idipsum etiam verbum, sed mirifica Spiritualis virtus & potestas, qua fit, ut aqua Corpus tangat, & cor abluat: Caro abluitur, ut anima emaculetur, Caro ungitur, ut anima consecretur, Caro manûs impositione adumbratur, ut anima Spiritu illuminetur, Caro corpore Christi vescitur, ut anima de Deo saginetur. (f) *Pro vario autem hominis statu ac multiplici morbo, quo tentari & affligi animus illius potest, diversa certóq; numerô definita Sacramenta, veluti totidem ijs morbis sanandis accomodata pharmaca cælestis animorum nostrorum medicus Christus Dominus præparavit, longè alia veteribûs prisci populi Sacramentîs; virtute majora, utilitate meliora, aditu faciliora, numerô pauciora.* (g) *Sed quantò magis effusa est DEI benignitas ac providentia in Sacramentis pro salute omnium hominum instituendis, tantò major exarsit dæmonis invidia & furor in ijs impugnandis, undè tot hominum millia sibi eripi perditus ille satan intellexit. Mirum! quàm varias ac multiplices artes, dolos, & machinationes adhibuerit? quàm pronos ad quodlibet cùm temerario ausu agendum homines suscitaverit? ut si fieri posset, salutares illos gratiæ fontes exsiccaret, ac supernos cælestium Charismatum thesauros diriperet, ac dissiparet. Hæreticos intelligo homines, quorum alij omnia simul Christiana Sacramenta repudiarunt, homines scilicet supra modum Spirituales & Angelici, qui ab omni corporis consortio segregati, nihil sibi cùm signis exterioribus commercij esse voluerunt. Alij fastidiosi ac delicati vel ipsum Sacramenti nomen eò quod in Scripturis non legeretur, dedignati, ab Ecclesiæ usu reijciendum aliquando putaverunt. Alij cùm nomen servent, multa Sacramenta sustulerunt, pauca retinuêre, ac nè illa*

quidem

(f) Tertul. lib. de Resur. pag. 330. (g) S. Aug. lib. 19. cont. Faus. c. 13.

quidem plena, & efficacia, sed vacua, inania, & virtutis indiga. Hos profectò prænuntiavit Propheta Spiritu vertiginis agitari (h) *& tanquam Babylonicæ turris ædificatores sic inter se linguis, & moribus esse divisos, ut alius alium non percipiat, neq; in unanimi convenire possint judicio. Etenim cùm de Sacramentis agitur, sive nomen, sive natura, sive numerus, sive efficacia, sive quid aliud in controversiam adducatur, non modò inter se accerbissimis contentionibus altercantur, verum distorta eorum ingenia adeò in varios ut etiam ipsis eorum sequacibus non sint consoni abeunt sensus. Nonnullis quippè Sacramenta visa sunt tanquam mera & nuda signa, seu symbola ad distinctionem Christianorum ab infidelibus, alijs tanquam externa sigilla, quibus hoc unum insitum est, ut Divinas promissiones conscientijs nostris obsignent, alijs deniq; maximè verò Lutheranis nonnisi externa signa & instrumenta, ad excitandam vel alendam fidem destinata. Omnes tamen communi consilio, junctisq; viribus eò tendunt, ac conspirant, ut Sacramentis Christi vim omnem seu efficientiam ad fructum Spiritalem eripiant. Et quoniam tanta est Satanæ versutia, tanta hæreticorum fallacia, tanta populorum ad res novas propensio, ut permultis jam, non inquàm hominibus, sed populis, Provincijs, Regnis, cùm summa Ecclesiæ Catholicæ jactura, & Honoris DEI, Christiq; meritorum obscuratione persvasa sint; idcirco nobis totîs viribûs enitendum est, ut in hæc ipsa Studia ita diligenter incumbamus, ut aliquando Hæreticorum fraudes detegere, Christi Gloriam amplificare, Ecclesiam propagare, damna resarcire, Satanam confundere, Christo Duce & adjutore valeamus. Cujus gratiâ publicæ disputationi exponuntur.*

CONCLUSIONES SEQUENTES.

I.

MUltæ passim apud Scholæ Magistros leguntur Sacramenti definiones: quæ tametsi nonnullis verbis differant, & aliæ

(h) Isaï. c. 19. ℣. 4.

aliæ minùs aliæ verò magis explicatæ ſint, unum tamen habent eumq; Orthodoxum ſenſum. Quarè contra Lutherum, Zvinglium, Calvinum, Anabaptiſtas, Socinianos, alioſq; novatores definimus: Sacramentum eſſe ſignum ſenſibile, ſeu ſenſu perceptibile, ducens in cognitionem interioris & inviſibilis gratiæ ad noſtram juſtificationem Divinitùs inſtitutum.

II.

AD rationem Sacramenti novæ Legis non requiritur neceſſariò elementum viſibile, ſive elementi nomine intelligatur unum ex quatuor Peripateticis aqua, terra, &c. vel ſaltem ſubſtantia quædam materialis viſibilis, ſed ſufficit aliud ſignum ſenſibile, ſive viſu, ſivè auditu ſit perceptibile.

III.

VErba quæ formam Sacramentorum conſtituunt, non ſunt promiſſionis, aut concionis, ſed verè ac propriè conſecrationis.

IV.

CIrca Miniſtri intentionem reijcimus primò ac damnamus Sententiam Hæreticorum aſſerentium, Sacramentum ratum ac validum eſſe, quamvis irriſoriè, & mimicè conferatur.

V.

AFfirmamus quoq; Sacramentum nullum & irritum fore, ſi Miniſter ſolùm habeat intentionem peragendi ritum externum, geratq; in animo latentem deliberationem non faciendi rem Sacram, etiamſi materiam adhibeat, & formam proferat, & eſto contraria illa deliberatio externa aliqua irriſione ſe non prodat.

VI.

NOn illam tamen intentionem neceſſariam exiſtimamus, qua Miniſter Sacramentorum intendat effectum, eaq; credat Sacra revera eſſe atq; utilia, ſed fatemur ſufficere, ſi id proponat verè ac ſeriò facere, quod facit Eccleſia.

VII.

SEntentia Catholicorum una eſt, ac ſemper fuit, non eſſe plura, nec pauciora, quàm ſeptem novæ Legis Sacramenta à Chriſto Domino inſtituta.

Septem

VIII.

SEptem hisce Sacramentis accensenda nequaquam est lotio pedum, quæ nec Sacramentum est, nec ad Sacramentum Baptismi essentialiter pertinet.

IX.

COnfirmationem inter Ecclesiæ Sacramenta secundum obtinere locum totius Christi Ecclesiæ communis consensio est, eamq; verum esse ac proprium Novæ Legis Sacramentum.

X.

HAnc profectò nullus ex antiquis Hæreticis ante Lutherum & Calvinum ex albo Sacramentorum expunxit.

XI.

DUobus modis sumitur hoc nomen Pænitentia, & juxta priorem est virtus vera Divinitùs inspirata & distincta à Sacramento; Considerata verò juxta rationem alteram: Pænitentia est verum ac proprium novæ Legis Sacramentum, & quidem diversum à Sacramento & memoria Baptismi.

XII.

SAcramentum Pænitentiæ necessarium esse necessitate medij ad delenda peccata post Baptismum commissa, nullus est Catholicorum, qui negare audeat.

XIII.

PRæterquam ex varijs momentis ostenditur Extremam unctionem esse verum ac propriè dictum novæ Legis Sacramentum: satis etiam probabiliter sustineri potest *Marci cap: 6.* Mentionem fieri Sacramentalis infirmorum unctionis.

XIV.

HAnc verò nec Valdenses, nec Wikleffistæ & Hussitæ de Sacramentorum novæ Legis albo expunxerunt.

XV.

NEcessariò admittendum esse in Ecclesia Ordinem, seu Ordinationem Graduum, & Ecclesiasticorum Ministrorum à Laicis distinctum, secundùm quem Clerici Superiores sunt Laicis,

eisq;

eisq; res Divinas, Sacramenta præsertim & DEI verbum admistrare debent: certò ac indubitanter asserimus.

XVI.

AC proindè Ordinationem qua Ecclesiæ ministri initiantur, esse verum ac propriè novæ Legis Sacramentum, pro fidei dogmate habemus.

XVII.

Tùm contra Armenos, qui circa Annum 640. Constantinô tertiô Heraclij Filiô imperante, & Theodorô in D. Petri Cathedra sedente: variîs erroribûs divexarunt Ecclesiam, hunc etiam inter alios adoptarunt errorem: ut dicerant: Matrimonium Sacramentum non esse, nec per illud aliquam conferri gratiam: tùm contra modernos Sectarios in eundem errorem abeuntes Luthero & Calvino Ducibûs: Matrimonium esse verum novæ Legis Sacramemtum, & conferre gratiam non ponentibus obicem ex opere operato: de fide sustinemus.

XVIII.

NOlumus tamen dicere: Matrimonium in veteri Testamento singulis in præcepto fuisse, à fortiori in novo dari tale præceptum omnes singulosq; obligans: imo contrarium dicimus. Cælibatum rectissimè Sacris ordinibus annexum esse.

Propugnabuntur in Conventu S. MARIÆ in Arenis PP. Carmelitarum A. O. R. Objectis respondente P. Marcello Bargiel, *Sa. Th. Cursore Assistente M. R. P.* BASILIO ZEBROWSKI, *Sa. Th. Magistro Deffinitore Provinciæ, Regente Studij Grlis Crac.*

Ad Majorem DEI Gloriam.